



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

5. Aliis scripturae verbis idem intentum confirmatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. I. Vtrum demon. possit Deum esse. 157

lum per fide. n. & non per euidentiā, quod clare docuit S. Aug. tom. 9. *trakt. Iob. in Ioannem* super hac eadem verba ibi: [Nam quod Deus dicitur vniuersa creatura, & omnibus gentibus quæ manifeste cognoscebant Christum, non omnino esse potuit hoc nomen ignotum, hæc est enim vis veræ diuinitatis vt creatura rationali, iam ratione vtenti non omnino ac penitus possit abscondi. exceptis enim paucis in quibus natura nimium deprauata est, vniuersum genus humanum Deum mundi huius fatetur authorem, quem miraculosis operibus & præcellenti scientia maiestas Christi declarauit aperte:] quid clarius & euiden-

109 Alter vero locus vbi dicit Christus [Philippe qui videt me videt & Patrem meum:] non est intelligendus de fide præcipue, sed potius aut de cognitione euidenti intuitiua aut de cognitione euidenti abstractiua, eo modo quo nuper verbum *Manifestum* explicuimus, nam vt optime notant Aug. Hierony. & Ambrosius cum ipsique multi noterici Doctores, duplicem sensum potest habere hic locus. pr. mus est, quod qui videat Verbum Diuinum visione intuitiua necessario videre debeat etiam Patrem & Spiritum Sanctum, quia impossibile est videre vnā personam quin videantur & alia, quia visio intuitiua, quæ necessario fertur in Deum, eo modo quo est, debet videre quicquid in Deo est formaliter, alias si non videret quicquid in ipso existit, non videret Deum sicuti est, quapropter optime dixit Christus loquens de visione intuitiua, Philippe qui videt me, videt & Patrem meum, ac si dicat, qui me viderit intuitiue secundum diuinitatem, & secundum quod sum Verbum diuinum & filius Patris, necessario debet videre Patrem meum non obscure, sed tanta claritate, & euidentiā qua me viderit. Alius sensus est, qui euidenter per Prophetias, per miracula à me facta, & per reuelationes cordium euidenter cognouerit me esse Deum, euidenter etiam cognosceret Patrem meum per euidentiā attestantis, nam qui cognoscit me esse Deum cognosceret etiam euidenter me vere loqui: at qui ego affirmo, & assero habere Patrem, cuius filius sum: ergo ex veritate meæ assertionis euidenter cognita, euidenter etiam cognoscitur maiestas Patris æterni, quia ex eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa, quapropter manifeste patet decepto aduersarij assertionem verbum *Video*, & manifestum sumi in his locis pro cognitione quomodocunque obscura aut opinatiua, cum certe non sumatur nisi pro euidentiā, vt patet ex dictis: ergo si scriptura in his locis, quibus se protegit Gillius, vtitur verbo *manifesto*, & *video*, ad denotandam euidentiā, sine dubio se suo gladio iugulat, ac proinde nostrum intentum confirmat.

SVSECTIO V.

Aliis scripturae verbis idem intentum confirmatur.

110 ET primo Evangelicus Propheta Isaias c. 40. *vers. 26.* hanc veritatem aperte manifestat his verbis [Leuate in excelsum oculos vestros & videte quis creauit hæc, qui educit in numero multitudinem fortitudinis & roboris virtutisque eius, neque vnum reliquum fuit] ac si diceret, Ad cælum sursum oculos attollite, & vobiscum attenta

cogitatione perpendite, sine dubio euidenter cognosceris creatorem à quo formati atque fundati sunt ipsi cæli, & illi nisi mentem prorsus abieceritis, docebunt manifeste maiestatem diuinam, infinitamque omnipotentiam illius contemplamini; igitur in hac illustri cælorum specie quemadmodum ex astrorum ingenti numero; ego tanquam Imperator cælestem illam militiam producam, quæ ego astra oriri atque occidere faciam, eo ordine qui rebus humanis conseruandis & augendis magis est opportunus, quorum virtutem noui, & accommodatum illi nomen imposui, cui illud inest robur, atque potentia, vt ex tanto numero nullum sit quod meum fugiat aut recuset imperium [si modo hominibus (inquit Hieronymus) aliquid esset mentis, satis esse debuit speciosissima cæli facies, & atque perpetuus astrorum ordo, vt homines non solum sibi persuaderent, sed etiam euidenter cognoscerent, & manifeste intuerentur aliquid esse Deum supra omnem creaturam etiam maximarum maiestatem.] Hanc igitur euidentiā (ostendit Isaias) cognitionis Dei dum vtitur verbo *video* dicens. [Videte quis creauit hæc,] quæ euidentiā adeo est perspicua, vt Ethnicorum tenebras dissipans coegerit Ciceronem, vt in hac aurea verba prorumperet [Quis est tam vecors, qui cum suspexerit in cælum Deum esse non videat, & ea quæ tanta mente sunt, vt vix quisquam arte vlla ordinem rerum, ac vicissitudinem persequi possit casu fieri putet;] Itaque eo ipso quod oculos ad cælum attollamus sine dubio luce stellarum, fulgore Solis, splendore Lunæ, scintillantium astrorum fulgentissimis radiis illuminabitur, vt non solum obscure, sed manifeste, aperte, ac euidenter omnipotentem Deum videamus & cognoscamus; ideoque natura tantam curam posuit, vt nos à cæteris animalibus discriminaret in figura & fabrica corporis, qua facili negotio cælos oculis lustrare possimus; vnde vt ait Ouidius non ineganter.

Pronaque cum spectent animalia cætera terram;
Os homini sublime dedit cælumque videre

Instit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Vtique tantum bonum compararemus in euidenti cognitione Dei; furdus igitur admodum est qui tam exaudibiles voces non percipit. Hæc autem interiores obstructas aperiri, & versus humum demissas arrigi, & oculos homini defixos attolli in excelsum admonet Isaias: vt audiamus & videamus; [Quis creauit hæc;] nempe corpora cælestia; quo circa inexcusabiles sunt quicumque Deum ignorant, cuius notitiā ingerit simplex, & inexcusabilis cælorum intuitus; illi vero minime ferendi, qui ex hoc eodem aspectu eo absurditatis & erroris sunt delapsi, vt ipsi diuinitatem attribuerent; vnde cecinit David [Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciant firmitamentum: dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam: non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.] Interroga (inquit Aug.) mundum, ornatum cæli, fulgorem dispositionemque syderum, & vide si non sensu suo tanquam tibi respondeant Deus nos fecit.

Igitur vniuersitas ista creaturarum est veluti liber oculis mortalium obiectus, suis notis musicis & characteribus distinctus, in quos intuentes, & intendentes inueniunt diuinas laudes ad librum canere, creaturæ autem laudare & benedicere Deum dicuntur, quod mutis quasi vocibus nos inuitant, atque adeo etiam docent diuinas laudes canere, quibus vocibus mutis manifeste demonstrat creatorem;

torem; Cantum enim etiam libro muto tribuimus cum vocamus *el libro de canto*. Vnde non mirum quod creaturas sua pulchritudine deum manifestantes librum cantus appellamus, in quo dicitur diuinæ laudis enconium. Idem experientia ipsa didicerunt ipsimet Gentiles; nam Trismegistus dixit mundum esse librum diuinitatis & speculum diuinorum, quo nimirum Deus seipsum clare expressit & quasi Appelles summus depinxit, quod etiam docuerunt Plato, Socrates, Aristoteles, omnesque Philosophi, idem agnouit & docuit orpheus cum ait: [mundi machina est musica & admirabilis consonantia prædicans & laudans deum;] hæc etiam est musica cælorum, quam prædicabat Pythagoras, & de qua loquens Iob *cap. 38. vers. 37.* sic ait: [quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet;] ac si dicat, harmoniam istam, musicam cælestem, dei maiestatem & gloriam decantantem in æternum duraturam perennique cursu propagandam.

His verbis Isaia consonant aperte verba Iob *cap. 36. versu 24. 25. & 26. ibi.* [Memento quod ignores opus eius, de quo cecinerunt, viri omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul: Ecce deus magnus vincens scientiam nostram numerus annorum eius inestimabilis;] vbi nota illa verba, omnes homines vident eum, vnusquisque intuetur procul; vbi cum verbum, vident: tum verbum, intuetur, manifeste declarant deum euidenter cognosci per creaturas, ratione cuius Cyprianus *c. 4. de veritate idolorum*, sic ait: [quæ est hæc summa delicti nolle agnoscere, quem ignorare non possis? vnus est, & vbiq; diffusus est; nam & vulgus in multis deum naturaliter confitetur cum mens & anima sui authoris & Principis admonetur, quod clarius docuit Tertulianus, in *Apologético c. 17.* his verbis: licet [anima carcere corporis pressa, licet institutionibus prauis circumcepta, licet libidinibus & concupiscentiis euigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen respicit, & sanitatem suam patitur & deum nominat solum, quia proprie verus h. c. vnus Deus & bonus & magnus, & quod deus dederit omnium vox est iudicem quoque contestatur illum Deus videt & deo commendo, & deus mihi reddit o testimonium animæ naturaliter christianæ. Denique pronuntians hæc non ad capitolium, sed ad cælum respicit.] sic ille; vnde Lactantius *lib. 6 c. 20.* dum de oculorum voluptate, & spectaculis disserit: [aiunt (inquit) Philosophi multo esse præclarius & homine dignius cælum potius quam cælatura intueri; & hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus, tanquam variis floribus adornatum quam picta & ficta, & gemmis distincta mirari, sed cum diserte ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, & ad cæli spectaculum excitauerunt, nemo est qui sapiat rationemq; secum putet qui non vnum Deum esse intelligat, qui & condiderit omnia & eadem qua condidit virtute moderatur.]

Ex illis vnum producam Senecam; [dum oculi mei ab illo spectaculo, cuius insatiabiles sunt non abducantur, dum mihi Lunam Solemque intueri liceat, dum cæteris inhæreere syderibus; dum ortus eorum occasus interualla, & causas inuestigare, spectare tot per noctes tellas micantes, dum cum hic sum & cælestibus, qua homini fas est immisceat, quantum refert mea quid calcem.] Eminus igitur & procul pascabant oculos & creatorem intuebantur multo id præstituri sapientius, si vt is ipse aliquando dixit: [Priora illa ago, ac tracta & me prius serutor; deinde hunc mun-

dum;] ex vtriusque autem contemplatione manifeste cognosci potest deus, vnde Gregorius; [Omnis homo (inquit) ex ipso quo rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum qui se condidit deum esse, quem videlicet iam videre est dominationem illius ratiocinando conspiciere, vt ait Iob: Omnes homines vident Deum, vnusquisque intuetur procul.] Ecce quomodo Gregorius ex verbis Iob à nobis adductis eandem veritatem quam nos patefacere intendimus manifestat, Grauius Pater Pineda, hunc locum his verbis elucida, quis inquit est si modo homo sit proprie? Adam quamuis terrenus ex primo Adamo oriundus qui non videat eum, alij id supple opus affixum in Hebræo indifferens ad vtrumque genus vnusquisque proprie, & nos etiam miserimus quisque, & valde imbecilli iudicii videri & intueri poterit, omnibus enim sunt diuina opera exposita ad contemplandum & suspiciendum, sed non omnibus ex æquo, diuino quippe lumini propinquiores sunt sapientes & exercitati in rerum diuinarum contemplatione, remotiores vero è media plebe homines: sed nemo tandem alienius luminis quo Deus, & eius opera agnosci possunt est omnino expers; eleganter Philippus [quæuis quis tam parus sit, & frigidus vt alienus esse studeat à creatore & deo suo, nullus tamen est qui se abscondat à calore eius, & ideo vnusquisque mortalium sentit clare & intelligit aperte Deum.]

p. Gregorius [procul enim intueri est; non iam illum per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum suorum admiratione pensare;] Tum etiam procul videtur, qui non in se ipso videtur, sed in creaturis quæ in infinitum ab illo distant, licet per illas euidenter videatur, hoc ipsum docuit Irenæus, *lib. 2 c. 5.* His verbis: [ratio mentibus infixa mouet, & reuelat, quoniam est vnus deus omnium Dominus;] vnde Athanasius aperte nostram veritatem docet his verbis, [quæ sempiternitas siue Diuinitas tam euidenter cognoscitur vt in scriptura passim videri dicatur:] sic ille, vnde Irenæus maxime inuehitur in ignorantes deum, illis verbis: [& huius peiores efficiunt eos, qui eis assentiuntur, illi enim creatura potius, quam creatori seruientes, & his qui non sunt Dei; veruntamen primum veritatis locum attribuunt fabricatori huius vniuersitatis Deo] & eodem modo Nouatianus, cum de Deo ageret, [quem (inquit) quoniam obtutu oculorum videre non possumus de operum magnitudine & virtute, ac maiestate condiscimus vt humanus animus ex manifestis oculata aperte & euidenter condiscat, ac de operum magnitudine, quæ videret mentis oculis clariori modo quam corporis artificis magnitudinem demonstratam attingeret.] Vnde Ioannes Chrysostomus à scelere, & crimine, nullo modo posse liberari asserit Ethnicos, & Paganos, qui Deum ex creaturis non attingunt cognitione: *hom. 3. in cap. 18. epist. ad Rom.* [quid (inquit) dicent Gentiles te ignorauimus: ita ne vero? non exaudistis cælum vocem ab aspectu emittens: non exaudistis compositam rerum harmoniam tuba illustrius clamantem? omnia ordinem seruantia? eademque tum à pulchritudine tum à magnitudine ipsum opificem, veluti præconio annuntiantia.]

Ratio vero euident, & ineluctabilis ad reuincendos Gentiles est, nam cum naturale lumen rationis ostendat, neque inferioris mundi, neque superioris corpora potuisse existere, ipsa per se absque artifice, & conditore; imo facta iam, & condita indigere rectore, ac moderatore, cuius arbitrio,

arbitrio, imperioque teneantur, sustententur, & in suis motionibus ad finem vniuersi propositum ordinentur, sit necessario consequens eum conditorum, & rectorē à quo acceperint magnitudinē, pulchritudinē, vim, speciem, ordinem, constantiam & reliqua quæ admiramur, in ipsis nec immerito, debere esse infinite his omnibus dotibus, & virtutibus excellentiorem, ac proinde tantum, ac talem artificem pro deo vero, ac vnicō agnoscentium; cum vero Scripturā sacra in his locis supra positis, vtatur huiusmodi argumento ad confundendos idolatras, id ē dicimus scripturam ipsam, dum assignans medium euidentissimum creaturarum (ex quo colligitur cognitio euidentis) vtitur ad significandam claritatem cognitionis Dei deductā per illud medium, verbis vīdeo, manifestum est, inuenitur, notum est, aperte docere talem cognitionem in toto rigore esse demonstratiuam, scientificam & euidentem; vnde Paulus *Act. 17*, predicaturus Atheniensibus nullum aliud euidentius argumentum excogitauit ad conuincendos Ethnicos; ita vt non possent resistere illi nisi desumptum ex creaturis ibi, [Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt hic celi & terræ eum sit dominus,] reputans tam manifestam esse demonstrationem hanc, vt Gentiles ipsi contradicere non possent; vnde non alio argumento, sed hoc vsus est, quia sine dubio argumentum demonstrat hanc veritatem, & ideo ipse Paulus *Act. 14*, inquit [non sine testimonio reliquit semetipsum dans eis pluuia, &c.] quod testimonium tam sensibile, & euidentis reputabat ipse Paulus, vt quia ipso non conuincerentur aliqui, dicat grauissimis supplicii affectos esse à Deo *ad Roman. 1*. ibi [sic ut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobū sensum, vt faciant ea quæ non conueniant repletos omni iniquitate, &c.] quibus concordat David *Psalm. 68*. ibi [obscurentur oculi eorum, ne videant, & dormit eorum semper in turba.] Planē hæc iusta Dei animaduersio est, iure quidem debita hominibus voluptatibus corruptis, quæ plerumque hominis animum ita perturbant, ac velut suffusa caligine obtenebrant, vt præsentem Deum non cernant, & qui inditum sibi lumen quo Dei notitiam assequi poterant, secundum illud *Psalmi 4*, [signatum est super nos lumen vultus tui Domine] nefandis sceleribus macularunt, ac pene viriis obrutum in animo sepelierunt, illius ita vsu priuentur, vt nec ipsum Deum in quo sunt, mouentur, ac viuunt, esse penitus agnoscant, nec alia ratione hoc supplicio mactantur, nisi quia tam clarum lumen, tam euidentem cognitionem obnubilauerint, de qua hæc verba profert Hugo de Sancto Victore, [Deus ab initio sic cognitionem suam in homine temperauit, vt sicut nunquam poterat comprehendere quid esset, ita nunquam quia esset poterat ignorari.] Vnde Augustinus *tractat. 106*, in *Ioannem* [hæc est] inquit virtus veræ diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione videnti non omnino, ac penitus possit abscondi.]

112 Quapropter si oculos semel humo attollerent Atheistæ, ac intus docentem naturam audirent, quoniam pacto fieri posset vt Deum non addicerent, quem teste Trismegisto in Pimandro quotidie manibus quasi atrectant? ibi. [Nam quamuis oculi nostri eo vsque pertingere non possint vt Deum videant, ipse tamen se manibus nostris atrectare sinit.] Cuius sententiam sequutus Iamblichus, de *Myst. Egypt. cap. 1*, fatetur ante omnis rationis usum Deum homini innoscere, nec quemquam efficere posse, quin ante omnia diu-

nitatem quandam esse animo concipiat, non tamen intuitiua animi conceptione, sed contactu quodam animi cognitionem præcellente; quo vero sensu tam Trismegistus, quam Iamblichus Deum manibus atrectari intelligant is est, quod vniuersa, quæ se manibus atrectanda præbent, Deum autorem; opificemque clamant, atque eo fit, vt cum in his Deum velut præsentem aspiciamus, etiā velut palpabilem atrectemus, quod expresse dixit Paulus *Act. 17*, ibi: [querere Deum si forte atrectent eum, aut inueniant, quamuis non longe sit ab vnoquoque nostrum.] Nam cum illud certissimum sit Deum rebus omnibus inesse in his viuere, mouere, atque operari, vt ipse Paulus ait, [in ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus: sicut & quidā vestrorum poetarum dixerunt, ipsius enim, & genus sumus genus: ergo cum sumus dei, non debemus estimare, &c.] Neque enim fieri potest vt quippiam dei essentiam, aut præsentiam effugiat secundum illud [quo à facie tua fugiam, si ascendero cælum ibi es, si descendero in infernum ades, &c.] inde facile euincimus Deum quodammodo atrectari cum ea tractamus, quæ sine deo esse non possunt, quapropter Auicenna [eos non modo ratione, ac intelligentia, sed etiam sensu indigere] ait qui diuinitatem aliquam, quæ vndique se conspicuam, ac tractabilem offert, non agnoscit.]

Cum igitur non tam insita animo de Deo cognitio quam sensus ipse Deum esse aperte testetur, eaque esse constantissime credamus, quæ manibus ipsis atrectamus, Deum vero ex Paulo, ac illustrissimis sacre Scripturæ testimoniis, ita in orbe clarum esse exploratum sit, vt vel digitis quasi atrectari queat, quis apertissimam veritatem iam in discrimen reuocet? plane Deo hominibusque agētibz, id cautum esto, vt si vllus deinceps eam veritatem insidiari audeat, mox ea poena mulctetur, vt omni humano iure spoliandus, atque ab hominum albo abradendus; & ab eorum societate, natura, ac consortio separandus, ad peccatum numerum propellatur, comburaturque, qui tam euidentem Deum cælo, & terræ pellere intendit, manifesta enim & euidentis cognitio est, qua conuincimur, vt Deum confiteamur; vnde Tertulianus, *lib. 1. aduersus Marcionem*, sic ait; [creator ex hoc Deus, & indubitatus Deus; quia omnia ipsius;] indubitatum enim euidentis est, quia de eo, quod clarum & manifestum est, dubitare nulla ratione possumus; vnde si Deus per creaturas indubitatus est, euidenter cognitus est, quod docere voluit Cyprianus *tractatu de idolorum vanitate*, dicens [Deum ignorare non potes.] Vnde David hoc argumento vtitur *Psalm. 113*, vt excusationem ignorandi Deum penitus à gentibus extorqueret, illis verbis [ne quando dicant gentes ubi est Deus eorum? Deus autem noster in cælo, omnia quæcunque voluit fecit.] Quapropter *libro Job. capite 38*, Deus ipse ex operibus suis, quæ latissime recenset seipsum demonstrat.

Propter quæ firmiter asserto fide sanctum esse euidenter, ac demonstratiue ex creaturis Deum posse cognosci, quia aperte, clare, & manifeste id docet Scriptura locis citatis.